CLASSES
Votivis Applausibus
ONERARIÆ,
Ad Petram
DIVINISSIMI TVTELARIS,
Magnifici, Perillustris, & Reverendissimi Domini,
D. M. PETRI PRACZLEWIC,
S. Th. DOCTORIS & PROFESSORIS,
Ecclesiar. Cathedralis Cracov. CANONICI,
Collegiatæ SS Omnium & Prosovic. PRÆPOSITI, DECANI Pilecensis, Collegij Majoris PATRIS SENIORIS, Contubernij Hierosolymitani PROVISORIS,
Studij Almæ Vniversitatis Cracoviensis PROCANCELLARII, necnon ejusdem Generalis & Vigilantissimi
RECTORIS.
Recurrente Divinissimi Patroni ejus die
Annuis Gratulationum Etesijs
APPULSÆ.
Anno, quo Navis Vteri Virginalis Cœlestem nobis portavit Panem. 1711.

CRACOVIÆ,
Typis Francisci Cezary, S. R. M. Illustrissimi & Reverendissimi Dñi Episcopi Crac. Ducis Severiæ; necnon Scholarum Novoduorscian. Ordinarij Typographi.

GRATVLATIO I.

Per Excellentissimum Dominum M. FRANCISCVM HIERONYMVM PLVCINSKI, *Philosophiæ Doctorem, Dialecticæ in Classibus Professorem, Contubernij Sisiniani Seniorem.*
Nomine tam suo, quàm aliorum Professorum Collegij Novoduorsciani,

D I C T A.

Illustri & Nobilissimæ Iuventuti Sarmatico-Academicæ gratulaturæ,
Attentionem & Benevolentiam Captans.

NOn tam Piscatoriâ Divinissimi Tui Tutelaris Cymbâ, quàm potiùs exiguo gratulatoriæ dictionis nostræ phasellô, Pallas Nostra Novoduorsciana, ad Tuas Rectorales mecum properat plantas. *Magnifice, Perillustris, & Reverendissime Domine* RECTOR, *Domine, Patrone Colendissime.* Laxatis Paternæ gratiæ Tuæ retibus, adeò Minervam nostram Novoduorscianam ad Te pertrahis; ut illa depositâ ægide, splendentiq; casside, tota se Tuis prosternat plantis, in Te Principem suum veneratura. Princeps es, non tantùm quòd Principali Regis Apostolorum gaudeas Patrociniô, sed quòd Princeps literariæ nostræ Reipublicæ appelleris. Gaudent Rectorales Cracij nostri Academi fasces, quòd ab eo regantur Nomine, cui Claves Regni Cœlorum sunt collatæ. Sub PETRO Religio Orthodoxa in totum dimanavit Orbem; sub Te itidem PETRO in Regno Sapientiæ, omnium literarum Studia, felicissima capiunt incrementa. Et quidni capiant? cùm Tu centoculo vigilantior Argô, in id omnes curas, eruditos labores, solicitudines continuas vertisti, ut bono publico semper sis emolumento. Vndè quod suo debent Capiti, cætera viventis corporis membra, id nos literarij Cives Regni, Tibi Vigilantissimo debemus RECTORI, à quo & animamur,

&

& armamur. Vive ergò longævus & fortunatus, magnisque Honoribus accumulatus, Vive in Orthodoxæ Ecclesiæ decus, literarum Academicarum præsidium, Clientum Tuorum subsidium. Hoc dum Tibi Novoduorscianum Professorum mecum vovet optatq; Collegium, etiam hæc Illustris & Nobilissima Juventus, spes certa Patriæ, in Tui Nominis gratulationem & Venerationem cum Votivis applausibus assurrectura, benevolas Tuas aures per me submissè expostulat. Dixi.

GRATVLATIO II.

Nomine Scholæ Dialecticæ.

EXpers rationis videretur esse Rationalis scientia Dialectica, si ad Tuas Rectorales plantas, sole hodierno mecum, & debitum cursum, & gratulatorium discursum non promoveret. *Magnifice Domine* RECTOR *Domine Mæcenas noster Observandissime.* Nudè Dialectica, quamvis semper loquatur, hodie tamen quodam Verecundiæ rubore, Vnà mecum tegitur. Caret quippè tantâ fandi copiâ, quanta ad enarrandas Tuas Virtutes, ad edisserenda gesta, semper cum plausu maximo gesta, postulatur. Non capit breve Logicum Argumentum, amplitudinem Sapientiæ magnorumq; Tuorum meritorum, quæ totus Lechicus videt Orbis, sacer Ecclesiæ intuetur Senatus, Respublica literaria miratur, & Cœlum nonnisi, ipsum, poterit debitè coronare. Linquo itaq; tua præclarè facta edisserenda, facundis Tullijs, fæcundis Ennijs vel Maronibus, ipse ut & hîc Dialecticus, hoc est brevis in sermone meo gratulatorio videar, cùm annuam Divinissimi Tui Tutelaris diem, tàm nomine meo, quàm nomine Januæ Scientiarum Dialecticæ Tibi gratulor, hæc aureis reserantibus arcana cordis Sancti Tui Patroni Clavibus de pectoris mei ærario depromo.

In freta dum fluvij current, dum montibus Umbræ
Virg. l. 1. Æneid. *Lustrabunt convexa; Polus dum sydera pascet,*
Semper honos nomenq; tuum laudesq; perennent.

DIXIT.

Illustris & Generosus Dnus JOSEPHUS *de Otfinow* OTFINOWSKI, *Capitaneides Sczercoviensis, &c.*

GRATVLATIO III.

Nomine Scholæ Rhetoricæ.

FElicisſimis Tuis ſub Auſpicijs RECTOR *Magnifice Perilluſtris & Reverendiſſime Domine Mæcenas noſter Obſervandiſſime*, Claſsis Tyrocinantis Eloquentiæ noſtræ, à portu, cùm nuper ſoluiſſet, ad Te Clariſsimam Petram, ſuum primo voto applicat navigium. Equidem non aliud ſummum bonæ ſpei Caput, deſuper monſtratum, non aliam primam ex fortunatis Inſulam advertit, quàm Te altiſsimo literarij Regiminis honore, ſupereminentem, omnes Petram; ſuper qua dextera Supremi rerum Conditoris, domum Sapientiæ, ſeptem ſublimibus altam columnis ædificavit. Tu nobis Petra Scientiam quærentibus, portus, ac promontorium felix, in cujus celſo vertice Doctorum Laurus, Cœlo viciniùs ſurgũt, cui vel ipſe Vavellus acclinis, tergeminum coronarum decus ſubmittit, in quo Sol Theologorum fulgentiſsimus, arcens umbras adverſas, in totum, radiatam lucem ſpargit, Septemtrionis Orbem; in quo Muſæ cum Appolline locum, munimen, dulce decus & præſidium ambiunt. Jmæ Tuæ baſi alliđi Claſsis noſtra, pro profundo Venerationis cultu, & gratulatorij plauſûs ſono publico, proram puppimque animorum infigere, ſummæ propenſionis ſtudio, primam felicitatis partem cenſet, & gaudet effundi in publicæ acclamationis Celeuſma Votivum, ut bene fundata, quia ſuper Eccleſiarum Principe Petra; Tui Nominis Magni ac Honoris Celſitudo verè Academica Petra magnitudine gloriæ in Supera alta aſſurgat: & Coronarum Ternione ſacro; Caput radiatũ, inter ſydera condat: ita ut ſimillima renidenti Polo, lumine Divùm, perpetuò circumfundatur, Nosq; ſuæ lucis Purpurâ ſerenare, tueri, fovere, dignetur. Ita precatus eſt voce, ore, ſpiritu totius ancillantis Novodvorſcianæ Eloquentiæ.

Illuſtris ac Generoſus Dnus CASIMIRUS *de Niegolow* NIEGOLEWSLI, *Vexilliferides Wſchovienſis.*

ODE IV.

Nomine Muſarum Scholæ Poëſeos decantata.

CArdo Polorum vertitur annuus:
Lucina feſti clara revolvitur,

Et

Et Lux dierum fausta trahit
Omina, perpetuosq; plausus.
Gaudent Camænæ, votaq; conferunt,
Vestri Patroni Festa Celebria
Canendo, vernantes Corymbos
Suppeditant pedibus Tuismet.
Virtutis Almæ prodroma gaudia
Omnes trahunt nos ad Tua pectora,
Dum Claviger nobis Patronus,
Intima nunc reserat profundi.
Insigne Regum Sceptra manus Tuæ,
Gestent ut illæ, justius ambiunt;
Vavellus hinc ternas Coronas,
Dignius imposuisse gaudet.
Et nostra quid ni? Turba studentium:
Quid ni? sacrorum culmina montium:
Sternant ad Jmum, celsiora
Nunc Juga Pieridesq; serta.
Duc fauste RECTOR secla per Aurea,
Vitam perennem Laudibus inclytam:
Optant Camænarum Cohortes
Terq; quater geminando, Vive.

Cecinit
Jllustris ac Generosus Dñus FRANCISCUS SLASKI,
Pocillatorides Mielnicensis &c.

EPIGRAMMA VOTIVUM. V.

PETRE Tibi solidam votis optare salutem
Convenit; hancq; velint consolidare Poli.
Nomine fers Petram, si vis? adamanta vovemus
Consurgat meritis, ex adamante salus.
Nil certè est Sceptris, quæ gestas, pulchrius, ornet
Cum Petra PETRI, fulgida Sceptra lapis.

Cecinit
Jllustris ac Generosus Dñus ALEXANDER ŁETOWSKI,
Thesaurarides Cracoviensis, &c.

GRATVLATIO, VI.

Nomine Scholæ Grammatices.

CVm ſuo quæq; Genio, plauſ'& gratulationẽ RECTORI expediat Schola, ne & noſtra à proprio diſcedat more, repetitionem in Tui Nominis honorem Grammaticè inſtituimus. *Magnifice Perilluſtris & Reverendiſſime Domine*, RECTOR & Pater Virtutibus & meritis Ampliſsime. Iteramus quippè vota, ingeminamus plauſus, repetimus quid in Te Grammatici ſimus: nullum tamen repetitionis punctum, per quæſtionem procedit: ſponte affectus & non quæſita propenſio, quid reſponderi debeat, eloquitur. Non inquirendum cujus partis Grammatici ſimus? ex noſtra Tui veneratione, vel totus colligat Orbis, pertinere nos ad partem Nominis Tui ex eo conſtat; quòd per omnes caſus & rationes in Tuum honorem flexibiles ſimus. Omne, erga Te, in noſtro pectore officiorum genus, generis omnis Grammaticum probat, ſed nullius certi numeri, quia ſine numero, Te Patrem amare, Tibi RECTORI obedire, Te Academicæ felicitatis publicum venerari Statorem PETRVM, debemus. Quidquid in ſingulari aut plurali mandaveris, univerſi ſingula, & ſinguli univerſa libenter exequimur. Hinc inferas: in quocunq; caſu nos Fata poſuerint, aut Tu eſſe volueris; ſemper cum honore RECTORALI, cohærebimus. Hodie feſto Nominis Tui, in Nominativo ſumus, Te Petrã, ſummũ Academiæ Caput, Te Principem, Claves, ſupremæ in Orbe literariò poteſtatis tenentẽ, cũ veneratione appellamus. Pro omni verò temporũ declinatione ad Superos vocativũ facimus: ut Tu Petra, ſuper quam Architectonica Altiſsimi dextera, templum Sarmaticæ ædificat & fundat Sapientiæ, æternum inconcuſſa fias. Eo fine, cæteræ hîc perorabant Scholæ, ego Grammaticus repetitionem DIXI.

Illuſtris & Magnificus Dñus STANISLAUS MICHAEL *de Brzezie* LANCKOROŃSKI, *Caſtellanides Radomienſis*.

GRATVLATIO VII.

UT & nos Grammatici & Grammatica plauſibilis ſciẽntia per Orbem benè audiat, Tibi Intellectuali Petræ, RECTORI Sapientiæ plauſus & gratulationem loquimur. *Magnifice Domine* RECTOR. Nullum enim putamus bonum Grammaticum, qui non ſit Tuo Nomini Studioſus, & totam Grammaticæ facultatem unum diceremus ſolæciſmum, ni congruum Feſtô Tutelaris Tui in plauſus expediat ſermonẽ. Hâc ratione moti, hâc doctrinâ inſtituti ſtatuimus (quod jam libenter facimus) ad mentẽ Grammaticæ gratulatorio plauſu, affectuoſo pectore, profectis à corde deſiderijs, benè loqui, benè ſcribere, & benè pronuntiare.. Vivat feliciter PETRVS, Dij vota probate, perennet Magnificus RECTOR.

DIXIT. *Illuſtris ac Generoſus Dñus* JOSEPHUS STRADOMSKI, *Dapiferides Kijovienſis.*

Conſona cunctorum ternis clamoribus Echo,
Hic reſonat, VIVAT ſecula longa PETRUS.

Przedmiot:

Pracownie

Liczby poprzednie:

Liczby porządkowe: 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 23, 24, 25, 26, 27, 28, 29, 30, 31, 32, 33, 34, 35, 36, 37, 38, 39, 40, 41, 42, 43, 44, 45, 46, 47, 48, 49, 50.

Liczba główna: 11.

Rok 1933.

L.:

400